

quod bellorum calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret. HINC est quod ad fidelem tractatum procuracionem promotionem et deliberationem felicem ejusdem preclarissimi et christianissimi principis et domini domini Amedei Sabaudie comitis memorati ipsis partibus de remotis regionibus ad ipsius domini comitis presenciam non sine variis sudoribus et expensis propter ea convocatis. Visis eciam et studio frequenti matura deliberatione pensatis, ac examinatis provide petitionibus, demandis, et singulis questionibus et querelis, ac eciam responsionibus et exceptionibus factis salubriter hinc et inde. Ipse partes videlicet: REVERENDI in Christo patres et domini dominus Valantinus Quinqueecclesiensis decretorum doctor et dominus Paulus Zagrabienensis episcopi, procuratores, actores, nuncii et legati serenissimi et invictissimi principis et domini domini Ludovici dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Bulgarie, Comanieque regis, principis Salernitani et honoris montis sancti Angeli domini procuratorio et actorio nomine prefati domini regis habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, prout constat publicis literis regiiis magno sigillo majestatis regie sigillatis inpendenti datis Bude in palacio regali decima tertia februarii, millesimo trecentesimo octuagesimo primo, quarum tenor inferius est insertus. Cum quibus dominis procuratoribus regiiis fuit presens egregius dominus Johannes Dominici de Postoch miles aule regie, qui cum dictis dominis ambaxiatoribus fuerat ad ea, sicut asseruerunt, pro regia majestate transmissus, et cum eis fuerunt eciam presentes egregii viri domini Paulus de Georgiis miles et Jacobus de Racluchis legum doctor communis Jadre ambaxiatores, ut assererat, ex una parte, et honorabiles et egregii viri dominus Leonardus de Montalto legum doctor, Franciscus Embriacus, Neapolion Lomelinus et Matheus Marucius cives Janue syndici, actores, procuratores, ambaxiatores et nuncii speciales illustris et magnifici domini domini Nicolai de Guarco dei gratia Januensis ducis et perpetualis defensoris et ejus Consilii et Communis Janue, nomine prefatorum illustris et magnifici